DE NOTEO-MYELITIDE ET NOTEO-MENINGITIDE QUAEDAM...

Carlo Tiato



DE

Osteo-myelitide et Osteo-meningitide

QUAEDAM

COLLEGIT, ORDINAVIT, EXPOSUIT

CAROLUS TIATO

PATAVINUS

AD MEDICINAE LAUREAM

ACCEDENS



PATAVII

TYPIS CARTALLIER

MDCCCXXXVI

2 43



VIRO SPECTATISSIMO

DOMINICO AB TIATO

HOC

LEVE STUDIORUM SPECIMEN

HAUD LEVE OBSEQUII AMORIS

ARGUMENTUM

DEVOTISSIMUS NEPOS


284

DE

NOTEO-MYELITIDE, ET NOTEO-MENINGITIDE

Morbi denominatio, ac definitio.

Quamvis innumera fere morborum series, quos tum nobilitate proprii textus, tum magnitudine atque extensione functionum in animali oeconomia parit medulla spinalis, attentionem civerit, studiaque foverit medicorum aevi cujusque, nihilominus discordes, atque impares hucdum denominationes fuere, quae illis tributae sunt. Revera celeberrimus Petrus Frank de hoc vehementer conquerebatur, afferens, e. gr. ad denotandam colicam saturninam, Astruc primum, Sauvages deinde vocem *rachialgiae* adhibuisse, aptiorem contra ad dolores spinae exprimendos; et vocabulum *rachitis* adeo congruum, ut ipse arbitratur, ad visceris hujus inflammationem demonstrandam, de qua sermo sum facturus, ad ossium

affectionem a phlogoseos natura longe lateque diversam indigitandam, statutum fuisse. Quamobrem haec ipsa inflammatio multifarias habuit denominationes, videlicet: Spinitis, Myelitis, Racho-myelitis, Rachialgia, dum phlogosim pulpam nervosam affici credebatur: Aracnoitis, contra, Meningitis rachidica, vertebralis, aut spinalis, dum involucra membranosa eâ vexarentur. Clarissimus Brera graecam desinentiam inflammationibus communem suscipiens, rachialgiam in rachialgitidem mutavit; haec autem vox, cujus ipse parum sufficientem dignovit proprietatem, organi totius in theca vertebrali contenti inflammationem indigitavit, stricte autem vi vocis idem denotaret ac inflammatio doloris spinae. Professor tandem Racchetti, Hippocrati adhaerens, qui ubique medullam spinalem nominat, vocabulis utitur μυελος νωτεος nempe medulla dorsi, hanc inflammationem vocum graecarum nexu Noteomyelitidem definiendam ratus est, quo concinne argumentum complectebatur. Illum ergo sequentes nos quidem Noteo-meningitidem phlogosim, in genere, membranarum viscus vestientium dicemus.

Multiplices variaeque formae, quas morbus hic potest assumere, propter quas perspicaciorum oculos facile effugit, effecere ut antehac parum dignosceretur, atque ipsum medici quammaxime rarum putarunt. Exactam autem sedis notionem,

et veritatem characterum quibus hodie insignitur, fructum recentiorum inquisitionum esse, omnemque gloriam saeculo nostro tribuendam, nemo, qui mirabiles progressus, et perfectionis gradum quem temporibus nostris anatomia path logica, et physiologia adeptae sunt cognoscat, in dubium revocare voluerit. Attamen ubi scripta veterum animadvertantur, etsi nutu legum utilitatibus anatomiae pathologicae destituerentur, atque, ob exordientem tunc temporis scientiam, tot physiologiae luminibus carerent, morbum hujusmodi ab iis quoque fuisse observatum nemo ibit inficias. Hippocrates ex primis medullam spinalem praedicavit viscus ad sustentationem actionum animalium, sensus, motusque in trunco et extremitatibus, nec non in thorace et abdomine necessarium; quam sententiam medici ad Galenum usque coluerunt, et deinceps Trallianus, Paulus Aeginetas amplexi sunt; et praefatus Frank, qui omnium primus in Italia Noteo-myelitidis characteres delineavit, aliqua borum in morbo ab Hippocrate *Pleuritide dorsali* nunciato comprehendit. Alibi autem etiam ante Frank, Vogel et Pott malis spinae studuere; deinde celebris Palletta quamplurimum ejusdem inflammationem illustravit. Post impulsum quem hi auctores dedere, universi fuerunt medicorum nisus in hocce argumentum, atque edita suut hinc scripta Brera, Bonomi, Macari, Bergamaschi,

Racchetti in Italia; T. Bayton, Chevalier, Armstrong in Anglia; Hafner, Schmalz, Goelis, Harles, Wenzel, Hinterberger in Germania; Gaultier, Portal, Latour, atque tandem Ollivier et Calmeil in Gallia; qui singillatim huic morbo operam dederunt, atque exactas descriptiones suppeditavere. Horum, ego, illustrium virorum laboribus innixus, propriis practicis notionibus expers, quaedam collegi, ordinavi, et vobis, praeclari Professores, sum expositurus.

Si morbus organismum pervadens abolitionem vel turbam unius pluriumve organorum secum ducit, in his ipsis alterationibus fontes reperientur in quibus, procul dubio, vis et sedes ipsius reperiri poterit. Tali pacto nos de inflammatione medullae spinalis, in thecae vertebralis centro a natura servatae et clausae, sermonem habentes, qua ratione ipsius phlogoseos consuetos detegemus characteres, si laesiones sensus reperiantur, nisi in turbam functionum organi hujus praestantissimi inspicientes? Meninges spinales equidem incertos in tali judicandi modo nos relinquere possent, quum palam facta eorum non sint officia; attamen sensibilitas, quam ipsae singularum seroso-fibrosarum membranarum adinstar possident, eminenter turbabitur; et insuper quum ubique viscus vestiant, et dicentur ad ipsius mo-

tus, serositatis ope quam exudant, favendos, ad ipsum in medio specus suspendendum, et ab externis noxis protegendum, clare patet quod ipsarum affectiones infeste in visceris actiones agent, et binc symptomata, indirecta quamquam, de earum pathologico statu nobis praesto erunt.

Revera vidit Magendiè spinalis medullae functiones cessare, imminuta vel adaucta pressione quam piam meningen in illam exercere ipse arbitratur, et in cadaverum sectionibus ab hac nervorum lumbarium radices distractas et unitas detexit.

NOTEO-MYELITIS.

Symptomata. Vivissimus vel, interdum, obtusus dolor a coxis per rachidem sese extendens, saepius collum vel dorsum afficiens, qui sub corporis motibus exasperatur, et moleste pectoris latera, hypochondria, pelvim et coxas tendit; dumque aeger supinus in lecto jaceat gravior fit, et praesertim, sicuti Kloss adnotavit, ubi super lectulum calefactatum vel plumis confectum, et non supra culcitram vellaream decumbat: attamen nunquam sub pressione adaugeri visus, dummodo morbus ex laesione externa cutim et vertebras afficiente non pendeat. Huicce adsociatur dolori myrmechismi sensus, calor acris atque ardor, quem Harles et Gaultier de Clambry cum illo quem ferri lamina candentia, vel carbo accen-

sus inferre solet, compararunt, et qui sensilis magis fit, ubi dolor ipse sit major. Nihilo tamen secus Harles valde dubium hoc reputat signum; nam saepe una gred.ur cum phlogosi aliorum viscerum et musculorum, speciatim diaphragmatis atque Psoas. Symptomata ista, quo rapidior est phlogoseos decursus, quidam artuum consequitur stupor, qui cito in paralysin transit, cum myrmechismo ingrato; vel eorundem artuum motus impeditur omnino a doloribus, qui sub leviori attactu augeutur ita, ut Ollivier notavit, ut nec toralium pondus feratur. Id tempus est quo excretiones incipiunt inscie demitti, vel ipsarum adest plus minusve completa retentio. Juxta Rostan eveniunt primae sub morbi initio, et contrarium phaenomenon aliquod tempus post ipsius ingressum; quandoque oppositum oriri observatum fuit, sicuti et alvum perdurare obstipam totum per morbi decursum, et ad normam urinam excerni.

Haec phaenomena et caetera, quae anomaliam in functionibus vitae nutrienti dicatis ostendunt, uti respiratio, circulatio etc. a phlogosi medullae filamenta lateralia lacessenti effici videntur, quia quamvis eaedem functiones a systemate ganglionico maxima pro parte alantur, attamen influxui etiam systematis spinalis subjiciuntur. Revera, primum nutritionem medullae et vitam praestat, et haec, pro vice, propria filamenta lateralia cum

nervis gangliaribus intexit, unde quaedam ad organa de alterutra vita, instinctu scilicet, et arbitrio participantia, proserpunt. Sic, ad exemplum, *accessorius*, (Scarpa, Willis, et Bellingeri docentibus), ramos qui cum *vago* decurrunt ad regiones thoracicas et abdominales mittit; sic etiam e nervis sacralibus rami prodeunt sphincteres ani, et vesicae amplectentes; et celebris Richerand medullae spinali cor motus principium debere asserit.

Paralysis, de qua superius fuit sermo, haud constantem sequitur semper invadendi modum; namque ipsa modo efficitur ab imo ad summum, et ab inferioribus artubus paullatim ad truncum et ad superiores extenditur, et, respirationem vetans, mortem inducit; modo, quod rarius, a summo fertur ad imum. Similiter latus unum prius aggredi solet, dehinc vero, ob parvum medullae volumen, et alterum; quandoque solummodo sensus deest, motus quandoque; vel interdum (plus minusve) utrique.

Discrimina haec ab eo pendent, quod nempe phlogosis primo in casu in parte posteriori medullae, et praeciae in substantia cinerea, et filamentia radicum posteriorum ab ipsa orientibus et sensui inservientibus, focum teneat; secundo vero in casu in parte anteriori et substantia corticali, unde filamenta motibus voluntariis inservientia derivantur.

Aliquo in casu hae paralyses a spasmatibus clonicis praeceduntur; alias artus contracti fiunt et dolentes; vel demum relaxati observantur, non rigidi; quae omnia juxta Janson referri debere ad id videntur, quod, vel phlogosis ad membranas sese extendat, vel in pulpa nervosa tantum residest.

Dum autem maxime intensus morbi gradus habetur, in scenam prodeunt tetanus, trismus, aphonia, dyspnoea, et alia; oculi lucem adversantur, ipsam aegre fereutes, sonus et aures; nunquam vero observanda evenit videndi audiendique amissa facultas, nisi cerebri ipsius affectione comitante.

Hae generatim cuncta sunt phaenomena, quibus medullae vertebralis phlogosis instruitur; at diversimode modificata adparebunt quum inflammatio partem aliquam tantum visceris teneat, juxta membra diversis respondentia regionibus, quae ab ipsa corripiantur. Symptomata, igitur, et morbi sedes (ipsis velamentis non omnino exceptis) sibi vicissim respondent (quod observatum) tali videlicet pacto:

I.° Quum phlogosis superius propriam sedem statuit, prout plus minusve protuberantiae anulari proxima sit, medulla ipsa oblongata et encephalon in consensum trahuntur, et hinc saepe sensuum perturbatio, delirium, trismus; difficile deglutit aeger, qui frendet, nec verbum proferre

valet; lingua rubra siccaque est, respiratio anxia; vomitus adest atque paralysis generalis. Hydrophobiae symptomata interdum etiam associantur; aegrotus brevi asphycticus moritur.

II.° Quum phlogosis partem cervicalem teneat, observatur saepius musculorum colli, nec non artuum superiorum rigiditas, qui spasmo quandoque corripiuntur vel in paralysim inducuntur; atque tunc istam praecedit quidam torpedinis sensus, qui a digitorum extremitatibus ad manum, et ad totum paullatim sese diffundit brachium. Tali in casu attamen cum sint proximius affectae propagines illae, quae a medulla ad nervum inter-costalem serpunt, a cujus praesertim gangliis cardiaci procedunt, facile deliquium cum gelido sudore exorietur, et habebitur pariter sensus constrictionis ad cor; respiratio valde perturbata nonnisi diaphragmatis ope efficietur.

III.° Inflammata portione dorsali, in tractu scilicet illo, qui inter geminas invenitur medullae tumescentias, spasmata ad truncum enascuntur, quae et ad artus propagantur tum, cum phlogosi vel alio destructionis processu ipsae corripiantur tumescentiae; respiratio brevis est et cita; cor dissilit et irregulariter pulsat. Pinel (filius) addit prope nullas nervorum esse functiones; Hippocrates autem, qua specialem hujusce characterem considerat deficientia fere sputa esse aegri,

atque urinas saniosas et sanguineas, carnis lotionibus similes, ab illo excerni.

IV.° Portione demum lumbari, vel potius tubere inferiori medullae inflammato, inferiorum etiam artuum paralysin habebimus; excretionem involuntariam, vel faecum retentionem et urinae; et quendam etiam profundum dolorem lumbos afficientem, et, juxta Coum, inguines et cavitates articulares pelvis. Praeterea quum praesertim in morbi causa fuerit ictus, vel lapsus, plus minusve patens observata fuit satyriasis; et dici posset epilepticos etiam accessus in scenam prodire, quum saepe in individuis hoc morbo correptis, pultaceum quasi inventum fuerit ejusdem medullae portionis mollimentum. Generatim Racchetti notat pulsus facile impares esse, parvos, debilesque ita ut ubi signa paralysis ad extremitates non bene clara sint, in errorem trahi quis posset dum asthenicum faceret morbum.

Necroscopia. Medullae substantia emollita, plus minusve propria organisatione destituta, nec non in liquidum quendam flavescentem, puriformem conversa. Mollitiem notatum fuit occupare, diverso quidem pacto, quodcunque medullae voluminis atque extensionis punctum, et quandam in ipsa crassitiem gignere, intus reliquias vasculares habentem. Tumescentia lumbaris, inter caeteras medullae partes, sedes fuit saepius peractae phlogoseos, sicuti similiter substantia grisea po-

tius quam corticalis. — In casibus qui chronicum ad statum referendi videbantur, textus medullae inventus est colorem et consistentiam praeseferens albuminis ovi aqua fervida indurati, quod praesertim ab Esquirol notatum fuit, et ab Ollivier, qui reperit spinalem medullam ita duram, ut vix digitis comprimi posset.

Noteo-meningitis.

Symptomata. Meningum spinalium phlogosin rarius ab illa cerebralium sejunctam observamus, ac encephalitidem a phlogosi medullae dorsi, ita ut facile discerni queat: eo magis quod nisi postremis temporibus in ipsam auctores intenderint. Ipsa vero suum potest agere cursum absque illa medullae. Nequeunt praeterea singularum meningum phlogoses sejungi, nam una gredi diligunt, quinimo hoc velle supervacaneum esset. Nihilo tamen secius cadaverum autopsiae phlogosium effectus potius in aracnoidea quam in caeteris sub oculis posuerunt. Symptomata vero, quae sicuti magis simul unita et constantia, qua characteristica habita sunt, haec notata. — 1°. Contractio generalis musculorum trunci partem posticam tenentium, a simplici rigiditate ad maximum contractionis gradum transiens, cum opisthotono; rachis tunc quasi arcus retroflectitur. Interdum quum inflammatio valde cerebri basi

est proxima, portio ipsius cervicalis flectitur quidem retro, sed tunc trunci reliquum propriam directuram atque flexilitatem naturalem servat.

Meningum rachidicarum phlogosi, continua aegri agitatio, et situs mutatio quoque tribuebantur, sed modo expositae contractiones libentius qua characteristicae habentur. Revera Dupuytren, Brera, et Bergamaschi aracnoitidis spinalis existentiam in tetano comprobarunt; et F. Hildenbrand, etsi illos reprehendat, qui proximam tetani causam in inflammatione medullae spinalis requirunt, illam tamen velamentorum ejus libenter defendit.

Attamen in hoc casu nervosae etiam pulpae phlogosis negari non poterit; quae mitis quidem erit, nec febris adeo vehemens.

II°. Dolor plus minusve acerbus per rachidem, eo gravior quo magis intensa sit inflammatio. Dolor iste interdum silet, et paulo post iterum comparet interjectu, et quamvis, juxta alicujus auctoris sententiam, sub pressione exasperetur, hoc tamen dubium remanet. Andral, qui ejusmodi casum observavit pares offerentem characteres, contrarium animadvertit; atque ita pariter Ollivier, qui asserit adaugi e contra propter motus ita, ut clamores edere cogatur aeger. Hunc praeter dolorem alius in inferioribus artubus exsurgit, et quaedam in his, atque in superioribus, rigiditas. Generatim hic etiam oriri quit trismus, spasmi

clonici, vel paralysis; respiratio difficilis, facies rubra, oculi micantes, speciatim ubi meningea encephali eodem morbo corripiantur.

Quod vero hanc a medullae ipsius phlogosi, juxta Ollivier, sejungendum valet, est quod nunquam sensilitas laesa fuerit in artubus abdominalibus; facultas haec integra usque ad morbi finem perduravit, dum e contra in noteo-myelitide constanter adparuit perturbata (1).

Necroscopia. Ubi morbus traumaticam dignoscat originem, non raro evenit quod laesiones etiam ad vertebras extendantur. Dissectâ thecâ osseâ, invenitur plerumque aracnoidea colore violaceo picta, et huc illuc densata; ipsam vulnerato, et statim exire de vulnere serum quandoque sanguineum videbis. Obrutam saepe concessum erit ipsam cernere stratu membranaceo opaco, albido, plus minusve adhaerenti, consistentiae variantis, qui simul unire quit radicea nervorum lumbarium. Serum illud sanguinolentum inter aracnoidem et meningem primam invenitur, atque piam inter et medullam materies inventa floccosa, spissa, albo-flavescens vel viridescens. Hoc etiam in casu, si inflammatio chronica fuerit, aracnois alba reperitur, stipata et fere ossea-facta. Cartilaginia frustula, et calcareas concretiones Morgagnius invenit.

(1) Haec tam noteo-myelitidi quam noteo-meningitidi spectant.

Febris, quae necessario istis inflammationibus associatur, dato non semper tempore, accedit. Interdum enim praecedit, modo vero morbum consequitur, praesertim ubi a causâ traumaticâ procedat. Aggredi plerumque solet frigore intenso, cui urens calor succedit; ipsius typus potius continuus est quam remittens, vel saltem parum notabiles remissiones observantur. Pulsus maxime irregulares habentur; cutis nunc valde sicca, brevi multo madefit sudore; tubus digerens nullam in affectione habere partem videtur, nisi quod ipsius functiones, ob alimentorum stimulos deficientes, silent. Attamen fit non raro quod ipse plus minusve irritatus adpareat. Accensio febrilis, generatim, non semper pari passu cum morbi gravitate greditur; saepe etenim imminui videtur, quando aeger jam jam est moriturus.

Status chronicus. Neminem latet, hoc namque probatum, utrasque hasce phlogoses ad statum chronicum transire posse. Attamen inflammatio meningum talem sequutam fuisse decursum rarius visa, vel saltem fere inaestimata ejus fuere symptomata. Phlogosis vero medullae, clariss. asserit Rostan, per dolorem obtusum ad rachidem manifestam fieri, qui saepe nec sentitur ab aegro, nec a medico agnoscitur nisi tum, cum digitorum extremitates super rachidis apopbises successive ferat, easque leviter comprimat; praeterea comitatur saepe a statu pariter doloroso artuum sub

pressione. Ardor raro notatus, vel vix da ipso aegri conquesti. Tempore eunte artuum paralysis gradatim evenit cum caloris imminutione, et sudoris in ipsis cessatione, cui unitur in progressu vesicae atque recti intestini functionum perturbatio.

Morbi similes. — Quum supradictae phlogoses decursum valde rapidum saepe sequantur, easque exitus funestissimi comitentur, cum istis interdum confundi posse dijudicatum est. Attamen innumerae aliae affectiones illas facile simulare queunt; ideoque permaxime intendendum symptomatibus propriis atque constantibus a nobis nuper expositis. Has inter postremas: I. *Encephalitis* recensenda; at in ista nunquam musculares motus laeduntur, verum facultates intellectuales, atque sentientes. — II. *Pharyngitis* et *Oesophagitis;* at in prima phaenomena topica habentur, et deglutitio difficilis tantum fit ad faucium isthmum, in altera vero multo inferius impeditur; in utrâque autem motus integri remanent. — III. *Pleuritis dorsalis*; at istius differentia notata; tactu etenim dolor quam maxime exasperatur, nec stetoscopia vel percussio ullam, per totum morbi decursum, organicam alterationem adesse monebunt. — IV. *Rheumatismus acutus rachidis*, qui distinguitur propter dolorem, qui tantum extimam muscularem dorsi partem tenet, et gravior fit sub attactu, et frigoris actione. Prae-

teres tumor extime, rubor, atque calor habentur. — V. *Diaphragmitis postica*, quae ab illis eo differt quod diaphragmatis directionem dolor sequatur, et sub inspiratione exacerbetur et tussi, et sternutatione etc. Praeterea respiratio omnino est sublimis, et singultus continuus. — VI. Phlogoses eaedem etiam cum *Mesenteritide* cum, *Psoitide*, cum *Nephritide*, confundi possent etc. at exacta symptomatum notio, quae istarum characteristica sunt, et summa attentio ad illa motoris apparatus habita, valebunt utique ne quis in errorem incidat.

Clarissimus pariter monet Harles, ut accuratum instituatur examen horum symptomatum in infantibus, cum experientiâ fuerit evictus quod multi morbi, qui brevi ipsis funesti redeunt, semel habiti qua tubo intestinali respicientes, vel qua difficilis dentitionis effectus, vel helminthiaseos, comitante, vel saepius lenta paralysi extremitatum consequente, nil aliud sint nisi chronicae spinalis medullae inflammationes. Hoc idem asserere non dubitavit celeb. Goelis, experientia et necroscopia edoctus, qui accurate etiam illas descripsit.

Morbi divisio. Inflammatio medullae spinalis, ejusque velamentorum in *acutam* sive sthenico-arteriosam a Brera et Harles distincta fuit; in *subacutam* et *chronicam* plus minusve venosam ab iisdem, qui nos de quadam lymphatica do-

cent. Aliae autem admittuntur differentiae, myelitidis scilicet *idiopathicae* e violentia nempe topica interque alia e dinturna validaque compressione; e suppressis secretionibus huc metastatice appulsis; e vasorum absorbentium, vel glandularum viscus circumambientium excitamento; *sympathicae* ex consensuali irritatione, ex aliarum, ut jam jam videre est, affectionum transgressu.

Quaedam praeterea *epidemica* distinguebatur, quae Albigoni (Albenga) Liguriae a medico Hyacintho Rossi, ineunte vere an. 1814, adulto autem vere an. 1827 Anxani (Lanciano) Regni Neapolitani a Julio Dott. Tommasini observata fuit.

Causae. Ex causis, quae hisce phlogosibus communes tribuuntur, talis fit distinctio.

I. Sunt enim in quas foetus materno adhuc in utero offendere potest a mala positione, a succussionibus sub immodicis matris motibus, a partu laborioso vel artificiali. Ulterius, exercitia gymnastica adolescentiae aetate, dum nimirum illa praecox est, nec sat aptae corporia evolutionis adhuc conferi; distensiones, sicuti A. Petit animadvertit, joco a quibusdam temere tentatae, quum scilicet, manibus maxillis suppositis, pueri vi extollantur. Conatus insuper ad gravia bajulanda pondera, et capiti, dorso, humerisque committenda; lapsus ex altis supra talos; itinera in rhedis non elasticis, et per aspera viarum; casus omnigeni, externae violentiae, vulnera, punctiones-

que meningum; dorsi verberatio; fracturae, denique, et luxationes vertebralis columnae.

II. Causae inflammationis propriae, uti incauta oppositis atmospherae conditionibus expositio; insolatio; alimentorum calefacientium, liquorum spirituosorum, coitusque abusus; diuturnior quaedam corporis positio, cui, morbo praesertim chirurgico laborantes, vel artifices quidam, aut agricolae, solis praesertim radiis urentibus, damnantur.

III. Adnumerandae demum sunt etiam nonnullae phlogisticae affectiones, quae morbosa radiatione sero ociusve ad medullam spinalem adire possunt, sicuti, exempli gratia, encephalitis et meningitis cerebralis; peripneumonia juxta Frank; rheumatismus juxta Ribes; aneurysmata aortae, quae, uti clarissimi scriptores opinati sunt, ossium vertebralium cariem saepe moliuntur. Habitualium, denique, haemorrhagiarum suppressiones, et subita erysipelatum, et exanthematum nonnullorum retropulsio, nec non multigenae uteri, genitalium, et partium medullae spinali proximarum chronicae passiones.

Decursus, exitus, et *Prognosis.* — Rapidus non parum inflammationum rachiticarum est decursus; meningum illa, intra tertium, decimumque octavum diem aegrum perimere potest; Ollivier ad trigesimum usque diem productam vidit. Decursum tamen chronicum inducere potest, uti

jam notabatur, sed huic, medullae potius illa inclinare videtur.

Hujus morbi exitus jam phlogosium communes sunt. Raro resolutio visa, rariusque vero gangraena, quam Harles nisi in ima medullae parte construi censet, vix lumbari sic lacessita, semperque superiori parcita, ubi phlogosis, nec tam altior, necis causa fit.

Praeterea observatae fuerunt induratio, et emollitio, cui multae artuum inferiorum paralyses, a Pott, Soemmering, Palletta etc. descriptae, tributae fuere. Inter varios meningitidis spinalis exitus notantur apoplexia myelitica, et hydrorachis seu spina-bifida.

In myelitide affectis dorsalis tabes, primo saltem gradu, veluti immodicae reactionis effectus medullae nervorumque ipsius, una cum gangliis ac vasis, ope sanguinis affluxus huc arcessiti e flagranti Veneris igne. Dein hisce phlogosibus tribuuntur spasmus dorsalis Wortington; tumores prima saltem ex origine aquosi a Ruisehio, Morgagni, aliisque nobis expositi; quaedam tandem, suppuratione inchoata, recurrens epilepsia.

Generatim asseri potest maxumi hujusmodi affectiones periculi esse, et facillime, valida congrua, et sollicita medela deficiente, lethaliter evadere. Ita decima octava, vel trigesima sexta hora reapse in Neonatis accidit. Chronico vero sub decursu, decimo ad vigesimum usque annum, fa-

cultate motrici etiam omnino ablata, protrahi videbantur. Tum summum attamen discriminis adest, quum, pars, uti diximus, cervicalis afficiatur, cujus laesionum vi, Legallois, atque Fontana cor repente suo defungi officio animadvertere.

Cura. Quidquid auxilii methodus antiphlogistica offert, medullae inflammatio ardenter expostulat, et generales ac topicae sanguinis missiones primum sistunt subsidium. Attamen qnoad illas, etsi minime negandum quod sanguini, e pulsuum parvitate ac contractione, et e paralysi ipsa haud parcendum erit; nihilominus simul summopere cavendum, quia, dum partis tam vitae necessariae phlogosin compescere optime hinc judicatur, illinc animadvertere necesse est quod ex medullae laesione cordis vires facile languescunt, ac breviter dubium jam agi de transitu in iposthenicum statum, locum habere posset. Hac igitur de causa illustris Racchetti suadet ut locales potius sanguinis depletiones animose instituamus. Quoad istas pariter, Practici quamplurimum scarificatarum usum cucurbitarum spinae lateribus commendant, propter celerem harum ac latam actionem; nisi quod praefatus auctor hirudines potius praediligit, atque admovere suadet, ut compressio quam poculorum ora in ramulos nervosos externos exercet, atque subsequa consensualis medullae irritatio effugiatur, dum hirudines sanguinem expedite subtrahere possunt ex exter-

nis ramis, qui in dorso ac lumbis intus ingrediuntur, atque cum visceris propriis anastomisantur.—Proinde topica laudatur frigoris actio et speciatim Schmuckerii balneum.

Interne autem acidi Borussici effectus, caeterorumque illud continentium praeparatorum laudibus quoque elati sunt. Hinc drastica evacuantia, et diuretica, uti nitrum, squilla, sales medii apta faciemus, nunquam tamen obliti horum de usu, quod ventriculus, aliaque abdominalia viscera plus minusve nota phlogistica afficiuntur.

Auctores qnidam summi, Mercurii dulcis usum tum interne, tum externe commendant. Clariss. Brera prima periodo hirudinibus quamplurimis, epithematibus, discutientibus, oleosis frictionibus, balneis repetitis, altioribus nitri dosibus, et postremo arnica prospero successu usus est. Goelis in pueris frigidas immersiones saepius, saepiusque iteratas specialiter memoravit

Chronico sub statu embregmata aquae salitae, fomenta aromatica, frictiones siccae, arnica, valeriana, cauteria, jam antiphlogisticis valide tentatis, praesto utiliter erunt.

In regimine diaetetico ut vertebralis columnae, quoad fieri potest, quies servetur, studiose commouendum.



THESES DEFENDENDAE

I.

Quotiescunque motus artuum musculares laeduntur, in spinali medulla morbi sedes inquirenda.

II.

Medullae spinalis actio eo magis efficax fit eoque minus ab encephalo pendet, quo magis ad animalia classis inferioris accedimus.

III.

Spinalis medulla sejunctim ab encephalo inflammari potest, et in pluribus distinctisque propriae extensionis punctis.

IV.

Sanguis factor, nervus tantum vitae moderator.

V.

In simplici febri gastricâ phlebotomia semper nocet.

VI.

Invenae sectione instituenda, simplicis orgasmi status, a verae plethorae statu distingui debet

VII.

Robustiores homines illi recensendi, qui multo pollent sanguine, non vero illi in quibus potius nervosum systema praedominari observatur.

VIII.

Virile semen non ad generationis functionem tantum a natura donatum.

IX.

Tristes sequelae, quae onanismum plerumque sequuntur non tam ex nimia seminis jactura, quam ex irritatione et concussione nervosi apparatus derivantur.

X.

Venus immodica saepe sterilitatis causa.

XI.

Virtus salutis augmentum.

XII.

Medicina forensis portentum biceps, quippe quae individuum duplex merito agnoscit.